



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

24. Maji. Non sumus domini corporis, sed Deus; ideo ejus afflictiones unâ
singulis mensurâ dividi non possunt. S. Ignat. ap. Bart. l. 4. f. 381.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

nuñt, exsiccat ariditas, curæ morantur, impedit dæmon, & quod mirandum magis, ipse successus corrumpit, & gustus enervat

Tunc oratio Deo grata, tibi utilis erit, si humilis, si à communi modo non degener, alienum potiùs ductum, quàm tuum sequatur appetitum. Non semper prodest, quod sapit.

24. Maji.

Non sumus domini corporis, sed Deus; ideo ejus afflictiones unâ singulis mensurâ dividendi non possunt. S. Ignat. ap. Bart. l. 4. f. 381.

UT domini non sumus corporis, ita servi esse non debemus, nec ejus parendum cupiditatibus, nec necessitatibus aliquid subtrahendum.

Nobilis jumenti curam nobis impositam credamus; foveri debet, non ultra modum, ne recalcitret; nec infra, ne oneribus impar succumbat; sentiat calcaria, ne otio torpescat, sed & fræno revocetur à præcipiti cursu ad quietem.

Faciliùs est flagris verberare corpus, quàm ferocem flectere voluntatem; cingi hispido cultu tam durum non est, quàm si

cingat te alius, & ducat, quò tu non vis.
 Multa sunt, quæ corporis macerationi
 præstant.

Omnis, & hæc potissimum virtus con-
 sistit in medio, ut nec omittatur necessarium,
 nec cum valetudinis periculo accumule-
 tur nimia corporis castigatio. Fortè plu-
 res in defectu, quàm ejus excessu deficiunt.

25. Maji.

*Usitatum est demoni, foris, quàm domi
 potius gerere; contra Deum interiùs ma-
 gis, quàm exteriùs hominem elaborare,
 & excolit. S. Ignat. ibid. f. 383.*

Sincera virtus Deo innotescere gestit
 non homini; latebras potius quærat,
 quàm publicum; Dei, qui videt in abscon-
 dito, non hominum oculos requirit, tunc
 contentus conscientia.

Qui vult decipi, statuatur ab externis ju-
 dicio. Heu quoties ludimus, & ludimur,
 hypocrisi ludimus alios; externam pietatis
 specie contenti, quòd vivamus, ludimur
 ipsi.

Cortice delectamur, medullam negli-
 gimus. O præposterarum hominum curarum
 quæ in exterioris culturam impenduntur.